



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XXIV. Abstractio relationis prædicamentalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

337

Quapropter scholasticorum nemo sanè præter Legionensem est, qui diserte neget prædicamentum relationis: Illud verò perspicue asserunt, probantque Aristoteles, & I. Iaro, atque vtriusque assecla: item cum Magistro in 1. dist. 28. & 30. sententiarum omnes: cum B. Thoma. 1. part. quæsti 23. & 28. & alibi sæpe cuncti eius discipuli: Scotista quoque suo cum antesignano: Nominales etiam, de quibus maius esse posset dubium: atque ex nostris Suarez, Vasquez, Molina, Valentia, Fonseca, Rubius, Toletus, ac cæteri omnes. Quorum ergo Legionensis cornicum, vtiunt, configit oculos, & nouo hoc commento id agit, vt priores nil scisse videantur. Cui præter totius auctoritatem scholæ ratio quoque manifestè refragatur: siquidem cur relatio non sit prædicamentum, ac supremum genus, nulla potest esse ratio, nisi eius ab extremis omnimoda indistinctio: at quod ab eis aliquo pacto sit distincta, superius cap. 17. & 18. demonstratum est.

338

Rursus secundo confutatur hæc sententia solutione argumentorum, quibus innititur. Quorum primum est. Petrum v.g. esse similem Paulo, est Petrum esse hominem, & Paulum esse hominem: at Petrus est homo, & Paulus est homo per seipsum circumscripto quouis alio realiter, aut virtualiter distincto, ergo & similes. Maior probatur (haud enim de minore videtur esse posse controuersia) tum, quia Petrus esse hominem, & Paulum esse hominem est vnum esse sicut alium, ergo est esse similes: tum, quia ne diuinitus fieri potest, vt Petrus sit homo, & Paulus sit homo, quin sint similes inuicem: cur ergo ea similitudo specifica in ipsis extremis, à quibus mutuo, & reciproce inseparabilis est, formalissime non consistat?

339

Respondeo: Petrum esse hominem, & Paulum esse hominem, est vnum esse sicut alium, non formaliter, sed radicaliter: quare similitudo formalis in vtroque formaliter non consistit. Quod autem ne diuinitus Petrus, & Paulus homines esse possint, & non similes, nihil refert: siquidem humanitas Petri, ne diuinitus esse potest, quin singularis sit; & tamen non per seipsam, sed per hæceteritatem à se virtualiter distinctam est singularis. Aut secundo responderi potest, Petrum, & Paulum similes esse in eo formalissime consistere, quod Petrus sit homo, & Paulus sit homo, cæterum particulam, & denotare comparationem, & relationem vnius extremi ad aliud ab vtroque virtualiter distinctam.

340

Alterum eius sententiæ argumentum est tale. Relatio prædicamentalis est denominatio quædam extrinseca; similitudo v.g. plurium concursus qualitas, quarum vna est in vno subiecto, & alia in alio: æqualitas quæ titatum, paternitas substantiarum generantis, & genitæ &c. Atqui denominatio extrinseca haud est etiam ratione distincta à rebus illis, in quibus est sita: ecquid enim est esse vestitum, quam homo, & vestes: Ecquid esse cognitum quam homo, & cognitio? igitur relatio prædicamentalis ne ratione distinguitur à sui extremis. Verum huic argumento factum est satis, cumulatèque supra cap. 18. ad finem: ibi siquidem declaratum manet denominationem cogniti, vestiti, & quamcunque aliam extrinsecam, tametsi à partibus suis haud sit distincta realiter, at esse virtualiter ac ratione ratiocinata: huiusmodi ergo erit distinctio relationis prædicamentalis à fundamento, & termino, ea si legem sequitur cæterarum denominationum extrinsecarum aduenientium.

CAPVT XXIV.

Abstractio relationis predicamentalis.

A Spero primo: Datur ratio communis relationis abstracta ab omnibus, & singulis eius speciebus. Ita Fonseca 3. metaph. cap. 25. quæsti. 6. lect. 2. Conimbricenses tom. 1. Log. cap. 7. de relat. quæsti. 2. art. 1. §. *his positis*. Hurtadus disp. 15. metaph. lect. 112. §. 120. & alij innumeri. Quaderetur autem primo: quia negari nequit prædicamentum, ac peculiare genus relationis, nec excepto Pontio Legionensi, negatur expressè ab illo, quem viderim: at relatio in concreto, siue, quod instar est, relatum, aut relatum cum rationem generis, ac prædicamenti non sortitur ob dicenda paulò inferius: illam ergo vendicat relatio in abstracto, siue prout relatio, ac proinde hæc est ratio communis, & abstracta, nec analogà modo, sed vniuersa, & generica. Item secundo: relatio merito alicuius speciei suæ, videlicet similitudinis, fundat abstractionem quamuis: quæ ergo tribuit aliis, vt possint abstrahi, cur hanc gratiam sibi non præstet: cur ne erga se parior sit quam erga cæteros conceptus.

341

Deinde tertio: sicut ab omnibus quantitatibus abstrahitur vna quantitas & qualitibus vna qualitas (par autem est ratio actionis, passionis, durationis, vocationis, &c.) quid est, quapropter ab omnibus relationibus non possit abstrahi vnum quoddam relationis genus? Quæ quam enitit in conceptu communi relationis concrete sumptæ, siue relatiui peculiaris quædam sit difficultas, quæ neutiquam militat in concretis cæterorum accidentium; ast nulla est in abstractione, & communitate relationis in abstracto usurpatæ, quæ quidem ei sit specialis, & non ex æquo quorumlibet accidentium, aut etiam substantiarum abstracta comprehendat; vt scire animaduertunt nostri Conimbricenses loco nuper memorato, vtque luculenter constabit ex mox disputandis.

342

Albert. Magn. tract. de prædicamento ad aliquid c. 2. & alij plures superiori videtur assertioni refragari, atque in eam inclinare sententiam, vt existiment, non relationem, sed vel relatum, vel certè ad aliquid esse genus summum huius prædicamenti, rationemque à cunctis eius speciebus abstractam. Istius porro opinionis primum argumentum est tale. Si posset dari ratio communis relationis, ea esset vna, & non gemina, simplexque & non partita: tum, quia vnum animal, & non multiplex ab homine, & equo, & cæteris abstrahitur: quæ autem conditio animalis, hoc tenus eadem est viuens, corporis, substantiæ, quantitatis, & cuiusvis alij conceptus abstrahibilis: tum secundo, quia genus relationum est eorum veluti caput, quippe omnibus superius, & cuncta sub se comprehendens: quare vt homo v. g. biceps monstruosus censetur esse, & contra naturam, ita etiam monstri simile erit corpus, vt sic dicam, relationis, hæc si in communi non sit vna, sed congeminetur potius. Tercio, quia sequeretur duplicem illam relationem in communi fore, & non fore duplicem: fore; quia quia supponitur: non fore; quia earum quæuis est ratio communis relationis: omnem ergo comprehendit, ac proinde à nulla est distincta, cum nullaque conduplicationem efficit. Vltimus quarto: ab vtraque illa relatione communi esset abstrahere aliam superiorem, quæ, cum esset eadem ratione duplex, sequeretur tertia abstractio, & sic quarta: atque ita in infinitum: ast hoc videretur non posse admitti.

343

Porro hæc relationis abstractæ congeminitio, ac

344

R 4

multi

multiplicitas nequit cuitari: ergo nequit fieri, vt abstrahatur. Quod non possit cuitari, suadet hunc in modum relatio illa in communi haberet terminum in communi à se distinctum realiter: ea namque esset ad aliud, priusque hic illi conceptus conueniret, quam vlli in particulari, sicut homini, vt sic prius congruit esse animal rationale, quam Petro, & Paulo, aut alteri: nihil autem esse potest aliud illud in relationis vt sic definitione expressum, quam terminus ab ea realiter distinctus: hunc ergo ea connotat: cum ergo terminus relationis sit relatio, & non quid absolutum, necesse est, vt ex aduerso relationis in communi sit, etiam alia relatio in communi, adeoque relatio abstracta haud sit vna, sed multiplex, & gemina.

345 Respondeo, relationem in communi vnā, & simplicem esse, ac non geminā, oppositum autem argumento facto nullatenus probant: tamen enim relatio omnis præter aliquid absolutum, quandam etiam relationem velut terminum sibi vendicat, vt in loco visum est, haudquaquam sequitur, relationi in communi, respondere ex aduerso aliam relationem realiter distinctam, sed potius seipsam: quando namque definitur relatio, cuius esse est esse ad aliud, vocula, aliud, indicat relationis terminum, non ab ea, sed à fundamento distinctum esse oportere: quocirca nil verat, relationem abstractam terminari semetipsa, quantumvis sit in eo etiam statu vera, ac stricta relatio: secundo fortasse vocula, aliud, non relationem terminantem, eiusque à fundamento distinctionem significat, sed quid absolutum, eiusque etiam à relatione distinctionem, saltem inadæquatam: licet enim omnis relationis terminus sit non absolutum quid tantum, sed etiam relatio, haud tamen opus est, vt ea in communi definiatur in ordine ad omnem suum terminum, sed satis est, vt, vel ad relationem, vel hoc si repugnat, ad aliquid quadatenus non respectuum, sed potius ab omni liberum respectu. Videnda sunt superius disputata cap. 14. & 15.

346 Secundum argumentum pro eadem sit sententia: relatio in communi esset, & non esset ad aliud, esset, quia hæc est relationis definitio: non esset, quoniam aliud illud ad quod esset, nihil esse posset, quam relatio, vel certe hæc esset, quidquid sit, an quidpiam vicius: vnde ratio communis relationis esset gemina, quod tamen repugnat ob rationes paulo supra propositas. Verum quatenus aliud, ad quod est relatio in communi sit etiam relatio, sine geminatione tamen vlla conceptus, qui abstrahitur; item vt aliud istud terminans relationem in communi possit esse, non relatio, sed quidpiam absolutum, in solutione superioris argumenti satis, cumulateque manet ostensum.

347 Tertium argumentum est. Si relatio in abstracto sumpta, ac prout relatio esset genus summum, ac prædicamentum quoddam, sane hæc, & illa relatio abstracte sumptæ, videlicet similitudo, æqualitas, paternitas, &c. forent in prædicamento: consequens est absurdum: ergo. Verum etsi Toletus, Niphus, & alij quidam putent, abstracta accidentium haud esse in prædicamento; contrarium tamen est B. Thomæ, & sectatorum Scoti, & communiter eorum, qui ipsi adhærent, Auicennæ, Veneti, & Villalpandi, estque multis partibus probabilius, vt supra ostensum est tract. 1. cap. 1. & 2. vbi vtramque opinionem, & vtriusque expendimus argumenta.

348 Quartum argumentum esse solet: relatio differt modo tendendi à cæteris generibus accidentium, quatenus nimirum eius essentia est esse ad aliud, cum tamen aliorum essentia, & etiam esse sit inesse:

dici ergo nequit, formam aliquam absolutam à cunctis relationibus abstrahi posse, quæ sit hoc nomine, relatio, significata: eius enim conceptus abstracti essentia esset inesse ritu cæterarum formarum accidentalium. Nihil hoc argumento magis infusum: siquidem iuxta illud relatio non solum in communi repugnaret, sed etiam in particulari. Absolutè dico, relationem etiam inesse: cum autem dicitur totum eius esse hoc esse, quod sit ad aliud, quis sit huius axiomatis sensus, supra explicatum esse cap. 3. huius tractatus.

349 Quintum argumentum est: relatio non potest fundari super aliam relationem, siue, quod perinde est, vna nequit referri ad aliam, eius similis esse: nequit ergo ab eis abstrahi conceptus communis relationis, cum similitudo sit fundamentum omnis abstractionis: antecedens est B. Thomæ, Caietani, Ferraricensis, Soncinatis, Ioannis à S. Thoma, eiusque nationis aliorum: necnon Patrum Vasquez, Molinæ, Becani, Arrubalis, & Conimbricentium: & aliqui certe daretur processus in infinitum relationum, vt perpendiculari palam fore videtur. Verum vt possit vna relatio referri ad aliam, & qui responderi debeat ad argumentum desumptum ex processu in infinitum, supra visum est cap. 9. vbi etiam pro nostra sententia relati sunt Scotus, Lichetus, Mairon, Antonius Andreas, Suarez, Valentia, Rubius, Vallius, Præpositus, ac Balchazar Tellez. Sextum, ac postremum argumentum est: si daretur ratio communis relationis, eandem etiam relati admittendam esse: admitti autem non posse relatum in communi. Cæterum huic difficultati opportunius fiet satis infra.

350 Assero secundo: relationis in concreto, siue relatiui nequitiam datur ratio communis. Hæc sententia videtur esse Augustini lib. de categor. cap. 1. specialiter, ac regulariter, vt hæc categoria manifestius dignoscatur, non recte dicitur ad aliquid, nisi cum singulare ad singulare refertur. Ad aliquid autem perinde est, ac relatum. hoc ergo iuxta Augustinum in communi repugnat, nec, nisi in singulari est admittendum. Declaratur amplius: relationis conceptus communis nequit dari de Augustini sententia: at non relationis in abstracto; si vera sunt, quæ superius disputata: ergo eius in concreto, siue relati. In eandem sententiam aliqui scholastici inclinant, quamuis, vt animaduertunt nostri Conimbricenses supra, pauci eam exprimant.

351 Suadet autem ita: omne relatiuum essentialiter est ad aliud à se distinctum: at relatiuum vt sic ad aliud esse non potest: ergo relatiuum vt sic, & commune repugnat: maior est perspicua: minor probatur, quoniam aliud illud, quod relatiuum vt sic respiceret, esset, & non esset relatiuum: non esset quidem relatiuum, quia supponitur aliud à relatiuo: esset etiam relatiuum; siquidem omne ens, siue reale, siue rationis, siue positium, siue negatiuum est scibile, aut volubile, alioque modo mensurabile, ac proinde relatiuum tertij generis: sed terminus ille relatiui, vt sic necessario est ens reale, vel ens rationis, positium, aut negatiuum: igitur relatiuum non esse non poterit.

352 Confirmatur, & illustratur: si daretur relatiuum in communi, eius oporteret aliquem esse terminum: nullus autem ei potest respondere: repugnat ergo. Maior, vt animaduertit Fonseca supra 5. metaph. cap. 15. quest. 6. sect. 3. §. quando igitur, & ex Aristotele, & ex communi philosophorum omnium sententia, & ex ipsa relatorum natura, ac ratione perspicua est: quamobrem nullo eget probamento. Minor ergo probatur: terminus ille relatiui in communi,

muni, si quis esset, esse deberet relatiuum quidpiam, cum supra probatum sit, nullum relatiuum in particulari non alio terminari relatiuo, quidquid sit, an aliquid etiam absolutum ei respondeat: quo pacto, quia cuiusvis cognitionis in singulari terminus est verum, cognitionem in communi sequitur vero terminari, & hoc illi formaliter obicit. At relatiui communis terminus esse nequit quid relatiuum. Aut enim ipsum, quod refertur: & hoc est falsum: quo enim modo relatiuum reale, quale est illud, quod abstrahi supponitur, seipso terminari potest: idcirco autem supra non semel dictum à nobis est, relationem esse posse realem, quamquam eius terminus non sit ab illa realiter distinctus, quoniam ab ea ad relatum appellari potest, dicique per distinctionem realem termini à fundamento factam, ac rectam manere realitatem relationis utrinque interiectæ: at ubi terminus non sit realiter distinctus à relato, non est ad quod possimus appellare, cum non, perinde, ac relatum relatum, hoc aliud se prius supponat. Aut propterea relatiui communis terminus est aliud commune relatum à priori realiter distinctum; atque ita sequentur in commoda omnia, quæ ex geminatione relationis incommuni superius ostensum est sequi.

353 Huic argumento, & eius confirmationi, quæ eodem recidit, respondent Scotus in 1. d. 21. quæst. vnica, Albertus Magnus in prædicam. ad aliquid. c. 10. Simplicius, & Boëtius in prædicamentis cap. 7. Ioan. Gandauensis lib. 5. metaph. cap. 15. Fonseca ibidem quæst. 6. sect. 4. & 5. Conimbricenses loco supra citato, & cum iis alij plures relatiuum in communi esse ad aliud, terminumque sibi vendicare in actu signato, non vero in actu exercito; siue fundamentaliter, & inchoatine, non vero formaliter, & proximè; siue in suppositione personali, non vero simplici: solaque eius inferiora posterioribus modis, si tamen plures sunt, & non magis vnus diuersis explicatus vocibus, esse ad aliud, & aliunde terminari.

354 Contra tamen sic argumentor: quoniam ita relatiuum in communi esset, & non esset vere relatiuum: esset, tum, quia id supponitur, tum etiam, quia alias non daretur ratio communis relatiui, quemadmodum, si quod abstrahitur à Petro, & Paulo v.g. non esset verè homo, haud posset admitti respectu vtriusque ratio communis hominis: rursus non esset, nam de essentia relatiui est esse ad aliud, terminumque quemdam intueri, at relatiuum illud in communi non esset verè, & propriè ad aliud, nec termino definitum aliquo: sicut enim vox hæc dissyllaba à me prolata, *homo* videlicet, quamuis sit homo in actu signato, non est strictè homo; & uti insipiens non est propriè sapiens, etiam si possit esse talis, in eoque sit fundamentum aliquod, & inchoatio sapientiæ, ac denique homo in communi non est indiuiduum, quia tale non est in suppositione simplici, sed tantum personali, eademque de causa Petrus nequam est species vere, quia talis solum est personaliter supponens, ac prout homo, non vero prout supponens simpliciter, & pro immediato suo significato, ita similiter in presenti &c.

355 Contra secundo: omne relatiuum predicamentale in singulari est ad aliud, estque termino aliquo coercitum in actu exercito, & formaliter, atque in suppositione simplici, & immediata: ergo si datur relatiuum commune, erit etiam eodem modo ad aliud, terminatumque: quemadmodum fieri nequit, ut quævis cognitio, & volitio singularis sit alicuius obiecti, quævisque actio alicuius effectus; passio cuiusdam materiæ, ac subiecti; visio quorundam extremorum, duratio alicuius temporis, & vbicatio

loci, quin rationes communes cognitionis, volitionis, actionis, passionis, vñionis, durationis, & vbicationis eodem pacto sint ad obiectum, effectum, subiectum, extrema, tempus, & locum.

Secundo respondent Rubius in prædicam. cap. 7. quæst. 3. Cardin. Toletus ibidem quæst. 2. Suarez disp. 47. metaph. sect. 17. num. 9. Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 11. §. 124. Arriaga disp. 12. log. sect. 11. & communiter ceteri recentiores, relatiuum in communi esse ad aliud, & respicere terminum, eumque in communi etiam: at eiusmodi terminum quidam eorum censent esse absolutum tantum; alij esse relatiuum, alij ab vtroque præscindere. Nihil tamen horum trium facile potest defendi. Non primum: tum, quia, si terminus relatiui in communi esset tantum quid absolutum, id esset de conceptu cuiusvis relationis in particulari, quemadmodum omne, quod est essentiale homini, hoc etiam est de essentia Petri, & Pauli, ac ceterorum eius inferiorum: at quod non omnis relatio in singulari sit ad absolutum tantum, sed potius quælibet ad connotatiuum etiam, in loco manet explicatum abunde: tum etiam, quia ipsum terminare est referri in eo, quod terminandi exercet officium, nec video, quo iure doceat P. Suarez supra sect. 16. num. 2. oppositum ab omnibus supponi, cum sciri actu, aut potentia sit alterutro modo scientiam terminare, illud autem esse relationem tertiæ speciei, fundatamque in ratione mensuræ non paucorum sit opinio: terminus ergo ille in communi hoc ipso, quo terminus est, quid etiam relatiuum est, adeoque perperam adstruitur relatiui in communi terminum esse quidpiam absolutum tantum: tum denique propterea, quæ in argumento principali sunt à nobis expensa, ea namque hanc euasione satis præcludunt. Non etiam secundum: siquidem euidenter, nisi fallor, demonstratum est paulo supra, relatiuum reale in communi, nec seipso, nec alio relatiuo vniuersali à se realiter distincto terminari. Non denique tertium: tum, quia terminus ille non abstrahit à ratione termini; ergo nec relatiui: tum etiam, quia etsi ita abstrahat, negari tamen nequit alius saltem terminus, qui non sit tali obnoxius abstractioni, sed sit formalissime quid relatiuum, ut supra probatum manet in ipso argumento.

Tertio respondent alij recentiores, relatiuum in communi habere terminum; at non in communi, sed in singulari. Contra tamen primo, quia relatiuum omne in particulari habet terminum sui ordinis, & non communem, sed specialem, simile v.g. aliud simile, pater filium, Dominus seruum, &c. similiter ergo relatiuum in communi habet terminum suæ classis, & non singularem, sed vniuersalem. Contra secundo, quoniam haud est potior ratio cur abstrahatur ratio relatiui communis, quam termini communis: ergo relatiuo, vel nullus, vel certe communis debet respondere terminus.

Contra tertio, quoniam relatiuo in communi, aut vnum tantum singulare responderet ex aduerso, vel omnia. Primum dici nequit: tum, quia non est maior ratio vnius singularis, quam alterius: tum, quia quod respicit terminum quendam singularem, non relatiuum commune, sed singulare est v.g. quod intueretur filium est eo ipso pater, genitorique & non alterius relatiui personam sustinet: tum etiam, quia, si relatiuum in commune respiceret quendam destinatum terminum, omne relatiuum in particulari eum deberet intueri, nec sine illo posset consistere: quod enim est essentiale rationi vniuersali, tale etiam necessario est respectu omnium eius inferiorum. Secundum autem dici nequit, quoniam, aut omnia singu-

laria diuifue fumpta terminant relatiuum commune, aut omnia potius collectiue: fi prius, fit relatiuum illud commune haud esse reale, fed folius rationis, quandoquidem omnia fingularia vagè fumpta illud adaquant, & ab eo realiter indiftincta funt: qua de caufa, fi feipfo in communi, & nulla facta ad inferiora defcenfione terminetur, haud erit relatiuum reale, vt fuperius demonftratum: fi pofterius; præterquamquod difficultas proximè à nobis obiecta redit, vt inuenti conftabit, alia quoque paulo fuperius oppofita huc facit: nam, fi relatiuum in communi cuncta fingularia collectiue fumpta refpicit, eundem refpectum importabit quoduis in particulari, quo nil magis abfurdum, abfonumue: fic eo ipfo, quod numerus in communi fit plurium vnitarum collectio, quiuis in fingulari non poterit non plures colligere. Contra quartò, & vltimò à fimili: nam omne relatiuum transcendentale in communi terminum etiam communem inuenietur neceffario: v.g. cognitio verum, non hoc, illudue, fed aliud quouis fuperius, amor bonum vniuerfaliter fumptum, agens effectum in communi, &c. fimiliter ergo philofophandum eft de relatiuis huius generis, quo de agimus.

359 Cæterum dari rationem communem, & abftractam relatiui realis, tuncur Albertus, Simplicius, Boëtius, Scotus, Gandauensis, Suarez, Fonfeca, Conimbricenfes, Tolertus, Rubius, Hurtadus, Arriaga locis toto hoc cap. citatis, & cum eis plerique alij ac tantum non omnes. Cuius fententiæ hæc effe poffunt argumenta: Primum ex conceffis, & quantum arbitror cæteris magis efficax: datur relatio in communi: ergo & relatiuum, fiue relatum: antecedens eft noftrum: confequentia fuadetur primo, quia nequit dari forma vlla fuo fine effectum formali faltem ex natura rei, & citra miraculum: ergo nec relatio in communi fine relato in communi: illa ergo admiſſa, hoc eft admittendum: confequentia fuadetur fecundo, quoniam hoc ipfo, quod datur ratio communis albedinis, cognitionis, amoris, durationis, vbicationis, actionis, &c. datur etiam ratio communis albi, cogniti, aut cognofcentis, amati, aut amantis, durantis, vbicati, agentis, actiue: atque in fuma cuiufcunque alterius abftracti eft ratio aliqua communis ei concretum aliquod vniuerſale refponder: cum ergo detur ratio communis relationis, ea relati nequit negari.

360 Secundum argumentum. Hoc relatiuum in particulari, & illud, illudque v.g. fimile, æquale, diffimile, inæquale, cauſans, cauſatumve, ſcibile, menſurabile coueniunt in ratione relatiui realis: hoc ergo ab eis poteft abſtrahi, quemadmodum, quia homo, & equus fimiles funt in ratione animalis, huius fieri poteft ab eis abſtractio. Tertium argumentum: Accidentia collocantur in prædicamentis; non prout in abſtracto, fed prout in concreto, vt communiter authores docent. v. g. album, non albedo eft in genere qualitatis: magnum, non magnitudo in prædicamento quantitatis; & fic in reliquis: alſi genus, ſiue prædicamentum ad aliquid eſſet ſola relatio, non vero relatum, refpectuum inferiorum, non concreta, fed potius abſtracta forent in illo: ſiquidem abſtracto communi, non concreta, fed abſtracta debent, ac ſolent directè ſubiici.

361 Quartum argumentum: datur ratio communis cauſæ, at in ea non eft minor difficultas, quam in relato communi: cauſa enim definitur, principium per ſe influens eſſe in aliud: cum ergo terminus cuiufcunque cauſæ ſit etiam cauſa alicuius alterius effectus, quippe ens reale; ſanè eiufmodi aliud erit, &

non erit aliud à cauſa: quemadmodum ergo gryphus hic haud tollit, quominus ſit admittenda ratio communis cauſæ, cur ſimilis prohibeat eam dari relatiui in commune? Quintum eſt, non ſolum cauſæ, fed etiam aliorum relatiuorum transcendentium eſſe conceptum quendam communem: quidni ergo etiam admitti poſſit relatiui prædicamentalis.

Ad primum tamen reſpondendum eſt conceſſo antecedenti, & negata confequentia. Prima autem eius probationis ſic debet fieri ſatis: nequit dari forma in omni ſtatu, ſuum quin tribuat effectum formalem: at poteſt in aliquo; eo nimirum, quo ſubiectum illius ſit incapax, aliæ requiſita ad denominationem eius propriam deſint: ita enim intellectio, ſi ponatur in lapide, cum non reddet intelligentem. Quid nimirum ergo, ſi relatio in communi fumpta, & prout eſt in ſtatu abſtractionis ſuum non impetiat effectum formalem, neque denominet relatum in communi? haud enim ille ſtatus, fed potius ſolius contractionis, quo nimirum afficitur per differentias ſimilitudinis, paternitatis, aliæue eſt aptus ad communicandam ſuam denominationem, effectumque formalem, vt noſtris manet probatum argumentis.

Verum enim dices, fieri ex noſtra ſententia, vt relatio incommuni in nullo ſtatu ſuum tribuat effectum formalem: relationis enim in communi effectus formalis eſt relatum itidem in communi, quod tamen ab illa nunquam, & nuſquam oritur: haud enim in ſtatu abſtractionis; vt eſt à nobis conſtitutum: haud etiam in ſtatu contractionis: cum potius in iſto relatum in particulari denominet. Reſpondeo, effectum formalem relationis in communi haud eſſe relatum commune (quod enim eſt impoſſibile, nullius eſſe poteſt effectus cauſæ) ſed potius ſingulare, quod ab ea, non tamen ſola, fed prout contracta per differentiam aliquam proficiſcitur: multoties enim alias vſuuenit denominationem aliquam, non ab vna, ſed à pluribus enaſci formis: at ratio communis relationis, qua de loquimur, in aliquo ſtatu denominat relatum particulariter, atque hunc dat effectum formalem: proinde obiectum nobis incommodum haud quaquam ſequitur.

Secundæ probationi eiufdem confequentiæ ita ſatisfacies: concretum, & abſtractum aliquod ſibi mutuo reſpondentia poſſunt ex æquo abſtrahi, & vniuerſalia reddi quoties in vnius vniuerſalitate, & abſtractione non eſt aliqua contraditio maior, quam in alterius: id, quod exempla in argumento propoſita perſuadent: cæterum quod abſtrahi relatum magis, quam relationem repugnet, à nobis, niſi valde fallimur, ſuperius eſt euictum.

Ad ſecundum argumentum dicendum eſt, ſimilitudinem inferiorum quorundam eſſe fundamentum abſtractionis, & vniuerſalitatis; quoties hæc non repugnat: atque ita animal ab homine, & equo, quoniam ambo ſunt ſimiles abſtrahi, paremque eſſe rationem cuiuſuis alterius conceptus communis; cæterum repugnare abſtractionem, & vniuerſalitatem relatiui realis, vt ſæpiſſime monitum: nihil ergo proficere, quod relatiua inferiora conueniant, & ſint ſimilia inuicem. Sic res, quia ſimul eſt vera, & bona, ſimul cognofcitur, & amatur; an ergo, quia res eſt ſimul bona, & mala, diuerſo vtrique reſpectu, potio v. g. amara bona & vitilis ad ſalutem, non tamen ad voluptatem, fed potius hunc in finem inutilis, & mala, propterea poteſt ſimul efficaciter amari, & odio haberi, tenuiue: minimè ſanè: non quod ex parte fundamenti deſit magis aliquid ad ſimilitudinem horum actuum, quam illorum; ſed quod in vna ſimulata-

te sit contradictio, & repugnantia saltem naturalis, quæ non in alia: similiter ergo in præfenti, &c.

366 Quoniam autem probabile est, similitudinem quamvis inferiorem cum abstractione vnius ab eis rationis communis esse coniunctam; idcirco secundo dici potest ad argumentum, relatiua singularia, nisi sola voce, non conuenire in ratione relatiui. Quod si quæras, quonam id à nobis asseratur colore; aut cur similiter dici non possit, Petrum v. g. & Paulum non conuenire, nisi solo nomine in ratione hominis, quamvis sint verè, & propriè homines ambo, sicut relatiua singularia relatiuorum rationem obtinent, quin similitudini plusquam vocali sint ob id obnoxia; in promptu est responsio: supposita connexionione abstractionis, & similitudinis, argumenta, quibus supra ostensum à nobis est esse repugnantiam, & contradictionem in eo, quod abstrahatur relatiuum in communi eadem etiam inferiorem relatiuorum similitudinem oppugnare: nec aliis opus esse.

367 Ad tertium respondeo; quamvis multi, grauesque autores putent concreta accidentium sola collocari in prædicamento: at quod eorum abstracta in illo locum sibi vendicent, sintque entia prædicamentalia, sin minus physice, ac propriissime, ac certe metaphysicè & propriè, à nobis demonstratum esse sup. tract. 1. cap. 1. & 2. Ad quartum respondeo, nihil in eo esse incommodi, absurdum, si ratio communis causæ in concreto repugnet, solumque eius abstractum possit abstrahi, & vniuersale fieri respectu inferiorum. Quid etiam? quod non pauci negent, omne ens reale, omnemque positium effectum cuiusvis causæ esse alterius vltra causatiuum: quod si ita habet, argumentum factum corruat necesse est, deque gradu deiciatur, vt aiunt. Ad postremum respondeo relatiuorum transcendentalium, quorum par fuerit, atque prædicamentali ratio; abstractionem, & vniuersalitatem negandam esse: concedendam verò, quorum fuerit dispar: æqui enim, bonique consulere debent aduersarij, si consequenter ad nostra principia philosophemur vbiunque.

CAPVT XXV.

Relationis prædicamentalis attributa.

368 **R**ationem communem relationis prædicamentalis sequuntur eius attributa, de quibus in præfenti pauca: haud enim multis opus, suppositis superioris disputatis. Primum eorum est, habere contrarium. At inquit iuxta Aristotelem cap. de qualitate huius solius est contrarietas stricta: quorsum ergo ab eo nunc assignatur etiam relationi prædicamentali? respondeo, eam hic tribui relationi prædicamentali, non cuiunque, sed latissime fuzæ, & prout etiam transcendentales cohibet: cuius signum est, ab eo exemplum adhiberi in virtute, & vitio sibi contrariis inuicem, de quibus tamen constat esse qualitates, ac respectus transcendentales. Hoc autem pacto relationem prædicamentalem subesse contrarietati, hanc à qualitate non extrahit.

369 Verum animalij relationes prædicamentales, non omnes quidem, & certè aliqua volunt esse strictæ contrarietati obnoxias: v. g. similitudinem, & dissimilitudinem, æqualitatem, & inæqualitatem, cum fieri videlicet nequeat, vt eadem res sit alteri similis, & dissimilis. Sed immerito: tum, quia idcirco non possum esse similis simul, ac dissimilis alteri, quia nequeo esse albus simul, ac niger altero existente albo: relationum ergo illarum oppositio non est carum

primario, aut propriè, sed duntaxat qualitatum: tum, quia esse simile, aut dissimile quidpiam alteri sunt denominationes extrinsecæ, & non omnino intrinsecæ: nullum ergo intrinsecum, propriumque subiectum respiciunt, adeoque non sunt strictè loquendo denominationes oppositæ, & contrariæ: contraria namque sunt quæ se ab eodem expellunt subiecto: ad huius ergo proprietatem & rigorem exigenda sunt illa: tum, quia ad contrarias formas opus est eatum alternatio quædam, sin minus actu, ac certè potentia. vtue modo vna, modo altera possit esse in communi subiecto: hæc autem deest in præfenti: nam subiectum proximum relationum, de quibus est sermo, est albedo v. g. hæc autem eadem persistente haud possum esse similis, & postea dissimilis: quin potius albedinis in nigredinem, ac proinde vnius subiecti in aliud mutatio ad eas denominationes mutandas est necessaria: tum denique, quia iuxta doctrinam Aristotelis cap. 7. de relat. & aduersarij ipsos duplum, & dimidium, magnum paruumque, siue quod eodem recidit, maius, minusque haud sunt denominationes propriè contrariæ, videlicet, quia tamen nequeat aliquid esse simul duplum, & dimidium, magnum, & paruum, possit autem ex intervallo, id tamen haud potest, haudue solet absque subiecti variatione, nouæque quantitatis accessione, aut recessione accidere, vt supra visum est tract. 3. cap. 7. similiter ergo in præfenti, &c.

370 Secundum relationis attributum est, recipere magis, & minus: de quo animaduertenda sunt duo ex doctrina Aristotelis: alterum est, illud non conuenire omni relationi prædicamentali: haud enim aliquid dicitur magis, aut minus duplum respectu dimidij, quam aliud eidem obnoxium relationi: Alterum est, cum dicitur illud congruere quibusdam relationibus, id neutiquam intelligendum esse quasi tales relationes primario, & propriè suscipiant intensionem, aut remissionem gradualem: idcirco enim aliqua res dicitur magis, minusue similis, aut dissimilis alteri, quoniam est v. g. magis, aut minus alba, quam alia, quæ eidem subiicitur qualitati: in hac ergo, & non in relatione nisi secundario, & impropriè est graduum multitudo, aut paucitas: Rursus ob id quidpiam dicitur magis æquale, aut inæquale alteri, quam aliud, quoniam maiorem, aut minorem habet quantitatem, & extensionem, quam aliud: hic ergo magis, & minus haud sunt talia intensiue, & gradualiter, sed extensiue: & ne hoc pacto conueniunt relationi æqualitatis, & inæqualitatis immediatè, & propriè, sed impropriè, & per denominationem aliunde emendatam.

371 Tertium relationis in concreto, siue relatiui attributum est, dici ad conuertentiam, siue reciprocari: quod contingit, aut in eodem casu, vt seruus est alicuius Domini seruus, & Dominus alicuius serui Dominus; & Pater alicuius Filij Pater, & Filius alicuius Patris Filius: aut in diuerso casu, vt scientia est alicuius scibilis scientia, & scibile est aliqua scientia scibile: sensus item alicuius sensibilis sensus, & sensibile aliquo sensu sensibile. Obiicies tamen, ala dicitur auis ala, non tamen è conuerso auis ala: siue ala auis, cum plura sint alata, non tamen aues vt apes, muscæ, & vesperiliones: item clauus dicitur nauigij clauus, non tamen è conuerso nauigium clauus, siue clauo nauigij: quædam namque sunt nauigia, quæ non reguntur clauo, veluti cymbæ. Rursus caput, dicitur animalis caput non tamen è conuerso animal est capitis, siue capite animal: haud enim pauca animalia sunt capite destituta.

372 Respondeo; relatiua non conuerti, si non fiat conueniens